

eiter esset idem, sic v. g. esset colligendum: Omne animal vivit, Homo est omne animal, E. Homo vivit. At si signum sic in prædicato minoris reperiretur, minor esset falsa. Tataretus in Summ. Petri Hispani tr. 12. dicit, quod signum sit pars ejus termini, cui additur, ponitque talem regulam: Quodocunque signum universale vel particulare ponitur inter partes subjecti vel prædicati, semper est pars, ut v. g. Socrates videns omnem hominem videt animal, ibi *Tò omnem* est pars prædicati. Verùm ex hisce verbis videmus, quod Tataretus loquatur de signo, quod ponitur in casu obliquo, & tale signum putat apponi posse tam subjecto quàm prædicato tanquam partem, quod concedimus, nobis autem jam sermo est de signo, quatenus ponitur in casu recto & enunciationem reddit vel universalem vel particularem: dicimus igitur, quod illud signum semper sit apponendum subjecto, & quidem voci categoricæ, aliàs enim enunciationem nec universalem nec particularem reddit, & hoc signum subjecti pars non est. Quando itaque subjecto alicujus enunciationis signum est additum, est pars totius enunciationis. Nec est, quod quis dicat, enunciationem eo modo quatuor constare partibus, cum tamen juxta communem sententiam enunciatio contineat tantùm tres partes. Ad hoc enim respondetur, enunciationem posse considerari (1.) in se & ut est enunciatio, non attendendo, an universalis sit an particularis: (2.) considerari potest quatenus subjecto ejus additum est signum vel universale vel particulare, seu quatenus formaliter est universalis vel particularis. Priori modo si consideratur enunciatio, verum est, quod constet tantùm tribus partibus. Si autem enunciatio

tio